

Sueonum Episcopus, doctrina & miraculis clarus, Wirlanorum & Scritifingorum gentes ad Christi fidem perduxit. Sub hæc Cæsar celebre Principum concilium Triburiæ convocat, in quo Henricus filius Rex salutatus: & in locum Conradi Dux Bojariæ repositus; ejus rei gratia in Bojariam ad hiberna concessit, celebratis Otingæ Natalitiis Christi. Merseburgi præterea Conradus Bojariæ Dux postulatus in judicium, & ob delicta Ducatu dejectus; tametsi & Saxonum querelæ adversus ipsum Cæfarem auditæ, quod justitiam remissius tractaret.

## Annus Christi 1054.

Leonis IX Pont. 6.

Hentici III Reg. 16, Imper. 9.

Jmadi Ep. Pad. 3.

Anno dehinc proximo Cæsar habito Ratisbonæ colloquio Principum, per Alemanniam prædonum receptacula exuri jussit: inchoatoque Turegi in castro Quadragesimæ jejunio, per assitas Reno urbes Moguntiam properavit, ad festum Paschatis diem celebrandum. Ubi in Leonis IX Pontificis defuncti, & in superum fastos relati locum, ex Episcoporum & Principum consilio, Gobhardum Eicstaddensem Episcopum Romanis obtulit Pontificem. Is anno in sequenti Romæ admissus, consecratusque Victoris II, nomen sumpsit. Post illa Cæsar Aquisgranum contendit, quā in Augustali urbe, indicto Episcoporum ac Principum comitio, filium, puerumque vix dum quartum ætatis annum ingressum, Regem inaugurandum obtulit, non sine controversia duorum Archiepiscoporum; quod Moguntinus ob primatum Sedis id sibi vendicaret, Coloniensis vero ex loco diœcesis, ut Lambertus perhibet, id pro antiquo jure sibi assereret. Cæsar demum impetrata Luipoldi Moguntini Archiepiscopi voluntate consecrationem Hermanno Coloniensi Archiepiscopo ob generis claritatem obtulit.

Jmadus per hæc Paderbornensis Episcopus noster torus in lustranda ordinandaque diœcesi fuit, atque sollicitus, quod Meinwercus Episcopus Cœnobium condiderat, atque optimæ religiosorum disciplina florebat, ne hominum injuriam pateretur. Quare hoc diplomate omnia ejus Cœnobij privilegia ac bona præmunivit.

*In deitate patris proli sit honor generalis. In nutu nati decus ac sapientia Patri. In vi Paraclisis virtus sit utrique perennis. Cum totius bonitatis dator hilarissimus, humanam ita condiderit creationem, ut eternaliter ipsi possidendum paradisi disponeret mansionem, in unius conditionis natura hominem creavit, quem in sapientia sua uniuscujusque creature materia innovavit. Sed postquam primi plasmatis transgressio suæ posteritatis filios in hujus mundi deputavit exilio, cernens Deus, quid esset in homine, cautelam scilicet discretionis boni et mali, sciens in homine fecit, ut qualitatis differentia seu*

Zzz

conversatio-

*Hermannus*

*Contr.*

*Lambert.*

*Henricus*

*Gebehar-*

*dum Eic-*

*stadensem*

*Episc. Ro-*

*manis*

*Pontifi-*

*cem*

*offert.*

*Curat fili-*

*um suum*

*Coronati*

*Regem.*

*Jmadus*

*Abdinck-*

*hoffen-*

*sem fun-*

*ditionem*

*approbat.*